



PRÆFATIO.

EACULTAS Medica Parisiensis curaverat olim Codicem Medicamentarium instituere , vulgareque Typis , ne ab ipsis met Morborum præsidiis fuscitarentur Morborum discrimina. Tunc enim ad cujusque Pharmacopœi arbitrium conflata Medicamina , spuriæ fiebant virtutis , incertæ potentia , plenaque periculis. Civibus hæc impendentia mala diu nec infelicitter averterat Codex ille Medicamentarius ; Apotheca purgata inutilibus , necessariis ornata , undè nec intuta , nec invalida corporum saluti depromebantur auxilia. Verūm temporum lapsu rario , crescente Medicinâ brevior Codex Medicamentarius , & ad Prælum revocandus & amplificandus erat. Reverà amplior in dies naturalis Historiæ cognitio , solertior rei Pharmaceuticæ tractatio , faciem præferente Physicâ experimentali , uberrimam reconcinnando Codici suppeditavère materiem. Sed cum hisce temporibus eò res per venerit , ut non è Galenico tantùm , sed & è Chymico fonte salutaria hauriantur præsidia , Galenicis Chymica subjunximus Remedias , quæ licet parùm inter se discrepant præparandi modo , distinctis tamen capitibus vitandæ confusionis causâ , tracta-

* ij

P R A E F A T I O.

vimus. Ergo in explorandis, comparandis, perpendendisve optimis utriusque Pharmaciæ voluminibus diù multumque sudatum est, unde quidquid, sive ad Medicamentorum delectum justamque proportionem, sive ad processus elegantiam pertinet, curiose feligeretur. Medicamenta quidem Galenica, quorum mitior est indoles & diuturniori usu comprobata virtus, non ita difficulter admissa sunt; in his tamen plura addita fuere, quædam rejecta, plurima mutata in melius. Chymica verò remedia, quæ eò sunt verenda magis, quò majori pollent energiâ, antequam præscriberentur, maturè pensitata sunt, expensa diligenter, scrupulose mitigata, ne si ruditer, imperitè aut negligenter tractarentur, nativæ viscerum molitudini sœviùs inimicarentur. Nec etiam omissæ sunt, imò operis in ipso limine proferuntur variæ illæ Encheireses quibus præparari indigent nonnulla medicamenta, ut præstantiora, vel ad utendum, vel ad componendum evadant. In operis dispositione, Galenica Medicamenta solitum retinuerunt ordinem, demendo tamen Aquas stillatitas simplices, quas Chymici juris ac Domini, Chymia restitui voluimus. Porrò in expensionis distillationibus Aquarum, & Plantis, & earum partibus, pro variis earum odore, sapore, substantiâ, varios quibus sincera illarum elicere tur virtus, experti assignavimus destillandi modos. Nec dissimili ratione cum cæteris Chymia operationibus aëtum est. Illis enim peculiares assignatæ fuerunt Classes, sub quarum nominibus

P R A E F A T I O:

traditi sunt remediorum Chymicorum processus ;
ut scilicet sub uno eodemque intuitu , remedii
cujslibet natura simul & origo indicaretur , tūm
etiam ut ita collectis ejusdem generis operatio-
nibus , variæ pro corporum diversitate proceden-
di rationes statim intelligerentur , sicque perfec-
ta , licet compendiosa haberetur universæ Chy-
miae cognitio. De vocibus Chymicis & reme-
diorum dosibus , diù multūmque agitatum est ,
num vulgaribus exprimerentur Litteris , num
propriis characteribus designarentur ; tutius visum
est expressa scribere verba , quam fallacibus sæpè
deformatas figuris voces interpretari , ut Lectori-
bus quid legendum , artificibus quid exequendum
habeant , clarum perspectumque fiat. Sed ne ul-
lus in Medicamentorum delectu errori daretur lo-
cus , neve fucum facerent variæ simplicium spe-
cies , quæ licet ejusdem sint generis & nominis ,
diversas tamen obtinent proprietates , genuina or-
dine Alphabetico præmittere visum est discernicula
rerum , quæ ex Vegetabilium , Animalium & Mine-
ralium familiis depromptæ , vel Codicis hujus com-
positiones , vel Magistrales formulas ingrediun-
tur. Demum ut per totum opus dispersæ res suo
quæque loco positæ facile reperirentur , additis
indicibus & rerum & capitum necessariis , legen-
tis commodo consultum est. Interim quærat hīc
nemo promptuarium universale ; operis hujus
præcipua cura versatur , ut in tantâ quanta est re-
mediorum multitudine , utiliora tantūm & usita-
tiora proponerentur. Sed cum Orbis universi ve-

* iij

P R A E F A T I O.

luti confluuium sit Lutetia, dum pro Civibus plurimæ conscriptæ sunt formulæ, plura Exteris familiaria non omissa fuere præsidia, quæ in officiis Parisiensibus præsto esse convenit, ne in restituendâ sanitate curta videatur Lutetia peregrinantibus. Hæc ut opera feliciter consummarentur, laboris pensa selectis Doctoribus distributa sunt, qui mutua inter se conferendo studia, communesque impendendo labores, suas miscerent operas, sua commodarent consilia. In frequentibus Facultatis Comitiis proposita res est ac trutinata. Singulorum Doctorum animadversiones, lituræ, mutationes, additamenta in medium prolatæ sunt & examinata. Illud unum supererat, ut meditati à Facultate Medicaminum componendorum modi ad solerterem Artificis manum (fidum nec indubitabile criterium) revocarentur. Hoc consilio, in tractandis medicaminibus expertissimos ad opus invitavit Facultas Pharmacopœos Parisienses, qui præscriptas ab ordine saluberrimo remediorum confiendorum rationes feliciter succedere, operationibus diligentissimè repetitis, experti sunt. Sic igitur seriò meditatum, perfectius elaboratum, ab omnibus Galliæ Medicis & Pharmacopœis exoptatum, Exteris fortè non injundum hoc opus, omnium consensu prodit, ægrotantibus securitatem, Medicis certitudinem, Pharmacopœis constantem regulam & legem allaturum.

